

HARTMAN, JACOB JOHAN

Tullus Propertio. : Carmen...

Amstelodami
1905

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks

Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

TULLUS PROPERTIO.

CARMEN

JACOBI JOANNIS HARTMAN

LEIDENI

TULLUS PROPERTIO.

IN CERTAMINE POETICO HORATIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

AMSTELÆDAMI

APUD IO. MULLERUM.

MDCCLXXVI.

TULLIUS PROPERTIO.

TULLUS PROPERTIO.

CARMEN

JACOBI JOANNIS HARTMAN

LEIDENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.

AMSTELODAMI
APUD IO. MULLERUM.

MCMV.

TULLUS PROPERTIO.

CARMEN

JACOBI JOHANNIS HARTMAN


LEIDEN

IN CERTAMINE POETICO BOEUPHIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM

AMSTELÆDAMI
APUD JOH. MULLERUM

TULLUS PROPERTIO.



Vallis Aricinae nuper dum frigora capto
Versiculos recolens care poeta tuos,
Ante oculosque mihi dulcis versatur imago
Plurima, depinxit quam tua docta manus,
Cynthia dum volitat curru comitata nepotis,
Dum Borea natos arbore ludit Hylas,
Dumque natat Paetus, vinctum sub tecta puellae
Immemorem dum te turba jocosa trahit,
Natalem laete celebrat dum Cynthia tecum,
Amisamque tibi somnia restituunt,

Lumina demittens projectas forte tabellas

Nescioquas video. Vix mihi cura fuit

Tollere detritum lignum detritaque vincla;

Attollo tamen et pulvere quassa manus

Liberat. Hic mihi dum tracto versoque repertum

Thesaurum et jamjam fluminis ille natat

In mediis undis, jaciens en proloquor istud:

„Vulgari buxo sordida cera fuit,”

Confestimque inhibens quam brachia saeva minantur

Perniciem, foveo spemque metumque simul.

Sic etenim mecum loquor: „o si cera Propertî

Haec foret, amissam carmine quam gemuit

Isto mellito, quo nullum suavius aetas

Ulla tulit, nullum suavius ulla feret.

O ego si nunc inveniam quod scribit amator

Tam lepidus, lepide quodque puella refert,

Sit licet exiguum, sint signa arcana notaeque,

Nomina sint tantum, tunc ego dives ero.

Sed nocuere imbres, vereor, pedibusque viator

Inscius obrivit munera tanta viae.

Horresco reputans quam non ego providus ipse

Sustulerim: digitos inseruisse puto;

Forsitan obscura est, heu, nostra reddita culpa

Litera quae dominum quae dominamve notat.

Has ego divitias volui dare piscibus amens

Ludibrium, hanc praedam fluctibus ipse dabam."

Talia per pectus volitant mihi fulminis instar,

Cor micat, atque tremens explicat ecce manus

Vile tibi, vates, buxum, mihi carius auro:

Constat enim quondam quis fuerit dominus.

Eloquar an sileam? Certe tibi vera fatebor:

Hostibus eveniat sic reperire meis!

Nam licet haud dubitem teneat quin dextra tabellas

Haec mea defletas, dulcis amice, tibi,

Nil ibi quod vel tu possis cognoscere restat;

Impressus digitus pumice rasmus erat,

Et maculas veteres maculae texere recentes,

Totaque sunt turpi sordida ligna luto.

Interior vero pars multo tristior ipsa:

Hei mihi conspectu quam gravis illa fuit!

Non monumenta tuae dextrae contemplor in illa,

Nil ibi quod pinxit Cynthia jam superest.

Literulae paucae potuissent reddere nobis

Istud versiculis nobile conjugium,

Nulla sed heu vestrae restant vestigia dextrae:

Omnia sunt dura quippe remota manu!

Sed quamvis doleam quod me spes lusit inanis,

Saevius hoc multo flebilisusque malum

Accedit — sed enim moestus num conquerar istud

Indignerne magis mens mea laesa rogar.

His etenim ceris, quae jam nec nomina servant

Vestra nec ullius signa prioris eri,

Ipsae jaces totus; tibi sed quae mira videtur,

Crede mihi, multo res magis haec misera est.

Ipsae jaces, heu heu, laniatus corpore toto,

Heu facinus dirum, talia luminibus

Quis cernat siccis? Nunc nunc o numina saeva

Eumenides, poenas sumere tempus erat!

„I puer atque aliqua citus haec propone columna”

Ingenium agnoscis nonne poeta tuum?

Quaerere qui potui? Mihi dulcis vix subit ille

Versiculus, subito et vox tua tota sonat.

Cynthia conspicitur, cernuntur gaudia, rixae,

Tristia quaeque habuit laetaque vester amor;

Deprendo lacrimas, deprendo saepe cachinnos,

Et quae praeterea lumine Musa beat

Caelesti tua.... sed quis tandem barbarus unquam

Tam dire est ausus commaculare manus?

Ille tuus versus, divinae mentis imago,

Disiectus jacet, heu, vulneribusque lacer:

Scriptus enim non est dextrorsum a margine laevo,

Supposita at verbo singula verba suo;

Angustam seriem post hanc stat linea ducta,

Post illam cerae maxima pars superest

Quisquiliis impleta, tibi quas scribere nollem

— Musae cultores ista referre pudet —

Sed me cura tui vetat hoc celare periculum,

Tu modo fac firmo discere corde queas!

„I nunc et pueros tali committe magistro”

Tullius haec; „i” hoc, haud dubium, inde venit.

Voce „puer” versus exornat saepe Catullus:

Hoc nomen „vetuli” quippe „minister” habet.

„I puer et” dubium est utrum his sit Tullius auctor

An Flaccus: certum noscere difficile est,

„I nunc et” quoniam alter habet, sed et „i puer” alter

Transigat hanc litem quisquis acumen habet.

At „citus haec” Venusinus adest qui jure reposcat,

Scripsit enim prior hic: „atque meo citus haec.”

Vox „aliqua” haud rara est: „aliquis latet error” habemus

Virgilii primo: surripuisse putem.

Rarius at contra est multo „proponere” verbum,

Unde habeat dubito. . . . certe alicunde tenet.

Denique quaerenti superest vox sola „columna”;

Ne frustra quaeras haec tibi jam recito:

„Porta adversa ingens solidoque adamante columnae”

Atque suum poteris reddere Virgilio.

Excipit has nugas crimen, quod scribere dextra

— Sic jam nunc tremit heu! — vix mea vix poterit:

„Nil habet iste sui vates, sed pauca Catulli,

Flacci plura tenet, cetera Virgilii.”

Qua poena, mihi dic, est ista calumnia digna?

Remmia lex dicat! lenis an illa nimis?

Curre tuum ad Maecenatem, curre ocius, inquam,

Hic tibi vindictam subsidiumque feret:

Vatibus hic carus semper, praefectus et urbis,

Atque malos cives quaerere munus habet:

Vestiget socios, sontem vestiget et ipsum,

Praetoremque ad se iudiciumque vocet.

Judex sit quisquis vates gratusque Camenis,

Ne quisquam istorum salvus abire queat.

Kappa notet frontem, sic totam denique turbam

Aeternum mittat Caesar in exsilium.

www.books2ebooks.eu